

ab aliis peccatis recedere, ita etiam nec ei, qui non vult infidelitatem deserere. Uterque tamen suscipit sacramentum, si ei conferatur, licet non ad salutem.

Doctrina horum articulorum sufficienter explicata est in præcedenti disputatione: circa textum autem D. Thom. nihil notandum occurrit.

ARTICULUS IX.

Utrum pueri sint baptizandi (4, dist. 4, quæst. 3, art. 1, quæst. 1, et Mal., quæst. 4, art. 1, corp., princ., et Quodlibet. 4, art. 10, cor. Et Quodlibet. 9, art. 22, cor.).

1. Ad nonum sic proceditur. Videtur, quod pueri non sint baptizandi. In eo enim, qui baptizatur, requiritur intentio suscipiendi sacramentum, ut supra dictum est (art. 7 hujus quæst.). Hujusmodi autem intentionem non possunt pueri habere, cum non habeant usum liberi arbitrii. Ergo videtur quod non possint suscipere sacramentum baptismi.

2. Præterea, baptismus est fidei sacramentum, ut supra dictum est (quæst. 65, art. 1). Sed pueri non habent fidem, quæ consistit in credentium voluntate, ut August. dicit super Joan. (tr. 26, et lib. de Prædest. Sanct., cap. 5, in fin.). Nec etiam potest dici quod salventur in fide parentum, quia quandoque parentes sunt infideles, et sic magis per eorum infidelitatem damnarentur. Ergo videtur, quod pueri non possint baptizari.

3. Præterea, 1 Pet. 3 dicitur, quod homines salvos facit baptisma, non carnis depositio sordium, sed conscientie bonæ interrogatio in Deum. Sed pueri neque conscientiam habent bonam vel malam (cum non habeant usum rationis), neque etiam convenienter ipsi interrogantur, cum non intelligant. Non ergo pueri debent baptizari.

Sed contra est, quod Dionys. dicit (cap. 7 Eccl. Hier., non procul a fin.): Divini nostri duces, scilicet Apostoli, probaverunt infantes recipi ad baptismum.

Respondeo dicendum, quod sicut Apostolus dicit, Rom. 5: Si unius delicto, mors regnavit per unum, scilicet per Adam, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes, in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Pueri autem ex peccato Adæ peccatum originale contrahunt (ut dicit August., lib. 5 Hypog., et lib. de Pec. mer. et remis., c. 49, tom. 7). Quod patet ex hoc, quod sunt

mortalitati subjecti, quæ per peccatum primi hominis in omnes pertransiit, ut Apostolus ibidem dicit. Unde multo magis pueri possunt per Christum gratiam accipere, ut regnent in vita æterna. Ipse autem Dominus dicit, Joan. 3, quod nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei. Unde necessarium fuit pueros baptizari, ut sicut per Adam damnationem incurrerunt nascendo (Aug., de Gen. ad lit., lib. 40, c. 41, tom. 3; Conc. Mil., cap. 4, tom. 1), ita per Christum salutem consequantur renascendo.

Fuit etiam conveniens pueros baptizari, ut a pueritia nutriti in his, quæ sunt christianæ vitæ, firmiter in ea perseverent, secundum illud Prov. 22: Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Et hanc rationem assignat Dionys. (cap. 7 Eccl. Hier., non procul a fin.).

Ad 1 ergo dicendum, quod regeneratio spiritualis, quæ fit per baptismum, est quodammodo similis nativitati carnali, quantum ad hoc, quod sicut pueri in maternis uteris constituti, non per seipsos nutrimentum accipiunt, sed ex nutrimento matris sustentantur; ita etiam pueri nondum habentes usum rationis, quasi in utero matris Ecclesiæ salutem suscipiunt. Unde Aug. dicit in libro 4 de Peccat. meritis et remis. (cap. 25, circa finem): Mater Ecclesia os maternum parvulis præbet, ut sacris mysteriis imbuantur, quia nondum possunt corde proprio credere ad justitiam, nec ore proprio confiteri ad salutem. Et cap. 49, circa finem: Si autem propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur, cur etiam non pœnitentes habeantur, cum per eorundem verba gestantium, diabolo et huic sæculo abrenuntiare monstrentur? Et eadem ratione possunt dici intendentes, non per actum propriæ intentionis, cum ipsi quandoque contra nitantur et plorent, sed per actum eorum a quibus offeruntur.

Ad 2, dicendum, quod sicut August., scribens Bonifacio dicit (epist. 23, cap. 2): In Ecclesia Salvatoris parvuli per alios credunt, sicut ex aliis, quæ in baptismo remittuntur, peccata traxerunt. Nec impeditur eorum salus, si parentes sint infideles, quia, sicut Augustinus dicit (in ea ep. 23, in med., tom. 2), eidem Bonifacio scribens, offeruntur parvuli ad percipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis, quorum gestantur manibus (quamvis et ab ipsis, si et ipsi boni fideles sunt), quam ab universa societate Sanctorum atque

fideliū. Ab omnibus namque offerri recte intelliguntur, quibus placet quod offeruntur, et quorum charitate ad communionem Sancti Spiritus adjunguntur. Infidelitas autem priorum parentum, etiamsi eos post baptismum dæmoniorum sacrificiis imbuere conentur, pueris non nocet, quia, ut Augustinus dicit (ea epist. 23, circa princ., tom. 2; habetur de Consecr., dist. 4, cap. 129), puer semel generatus per aliorum voluntatem, deinceps non potest vinculo alienæ iniquitatis obstringi, ubi nulla sua voluntate consentit, secundum illud Ezechielis decimo octavo: Sicut anima patris mea est, ita et anima filii; anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Sed ideo ex Adam traxit, quod sacramenti illius gratia solveretur, quia nondum erat anima separatim vivens. Fides autem unius, imo totius Ecclesiæ, parvulo prodest per operationem Spiritus Sancti, qui unit Ecclesiam, et bona unius alteri communicat.

Ad 3, dicendum, quod sicut puer cum baptizatur, non per seipsum, sed per alios credit, ita non per seipsum, sed per alios interrogatur, et interrogati confitentur fidem Ecclesiæ in persona pueri, qui huic fidei aggregatur per fidei sacramentum. Conscientiam autem bonam consequitur puer etiam in seipso, non quidem actu, sed habitu, per gratiam justificantem.

COMMENTARIUS.

1. D. Thom. duas assignat rationes. — Prior ratio D. Thom. discutitur et explicatur. — Duo docet D. Thomas in hoc articulo. Primum est, infantes esse capaces baptismi, quod probat, quia sicut pueri ex Adam nascendo contrahunt originale peccatum, ita necesse est eos renasci in Christo, ut possint gratiam consequi, et a peccato exire; sed non possunt in Christo renasci, nisi possint baptizari; ergo necessarium fuit, ut essent capaces baptismi. Secundum est, conveniens esse pueros baptizare, ut a pueritia nutriti in his, quæ sunt christianæ vitæ, firmiter in ea perseverent; de quibus assertionibus statim ex professo disputandum est. Nunc rationes D. Thom. declarandæ sunt. Ratio enim prior, vel nimium, vel nihil probare videtur; nam si pueros, quoniam sunt capaces originalis peccati ante usum rationis, necesse est esse capaces baptismi in eodem statu, sequitur etiam in utero materno debere esse capaces baptismi; nam etiam ad eundem statum applicari possent verba Pauli, quæ D. Thom.

adducit: Si unius delicto, mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, et donationis, et justitiæ accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum. Hanc difficultatem attigit D. Thom. infra, art. 11, argum. 4, cum solutione. Et respondet, pueros in utero maternis existentes non posse subijci actioni humanæ, quia nondum in lucem prodierunt. Ex quibus verbis colligitur in primis, non esse parem rationem de statu in utero et extra uterum ante usum rationis. Colligitur deinde limitatio seu declaratio rationis D. Thom., nimirum hominem, qui est capax originalis peccati, debere etiam esse capax remedii seu justitiæ et regenerationis in Christo, si possit subijci actioni sensibili et humanæ; quoniam expedit, regenerationem in Christo fieri per hujusmodi actionem, de qua re plura dicturi sumus infra disputantes de baptismi necessitate.

2. Posterior D. Thom. ratio explicatur. — Circa posteriorem rationem dubitari potest, quia ante usum rationis pueri non possunt in fide instrui, seu enutriri; ergo ex hoc capite non oportet eos tunc baptizari. Deinde, eo modo, quo tunc possunt instrui, per quamdam puerilem consuetudinem et imperfectam conceptionem, possent etiam, quamvis non essent baptizati; imo et post rationis usum, statim a principio illius, possent doceri et instrui, etiam si baptizati non essent; ergo ex hoc capite, nulla dari potest sufficiens causa hujus consuetudinis. Respondetur, non esse hanc solam rationem hujus consuetudinis, sed alias, quas disputat. sequenti declarabimus; hæc tamen etiam, per se sumpta et recte intellecta, est optima, nam ad fidei firmitatem, et ut fiat veluti connaturalis, multum confert, quod a principio fere nativitatis infantes habeantur, tractentur et educantur ut christiani, et ut membra Ecclesiæ, non postea efficienda, sed jam facta. Item confert multum, ut pueri ab infantia imbibant fidem, ut omnino necessariam ac perpetuo retinendam; et quod se semper agnoscant ut Ecclesiæ subditos, a cujus gremio eis recedere non licet; quæ omnia in baptismo fundantur; hoc ergo modo baptismus infantium utilissimus eis est, ut in fide christiana enutriti firmiter illi adhæreant.

3. Cajetanus. — Quæ D. Thom. tractat in solutione argumenti, quomodo parvuli sine propria intentione et fide baptizari possint, aut quomodo eis prosit fides, aut meritum Ecclesiæ, bene explicantur a Cajet. brevi

commentario. Resolutio est, de necessitate sacramenti nihil esse parvulo necessarium ex parte sua, ut sit capax, quia illi sufficit voluntas et intentio Christi, per quem regeneratur: tamen ad majorem solemnitatem, et ad significandos effectus, quos baptismus habet in infantibus, utitur Ecclesia illis caeremoniis, quibus significat, parvulos velle baptizari, credere et justificari, non propriis actibus, sed voluntate sui capitis, seu totius corporis Ecclesiae. Cujus meritum dicitur etiam parvulis prodesse, non quia ratione illius justificantur, sed quia pro eis orat Ecclesia, ut sine impedimento, et baptismum accipiant, et postea suo tempore illius effectu perfruantur.

ARTICULUS X.

Utrum pueri Judaeorum vel aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi (2. 2, q. 10, art. 12, et Quodlibet. 2, art. 7).

1. Ad decimum sic proceditur. Videtur, quod pueri Judaeorum vel aliorum infidelium sint baptizandi, etiam invitis parentibus. Magis enim debet homini subveniri contra periculum mortis aeternae, quam contra periculum mortis temporalis. Sed puero in periculo mortis temporalis existenti est subveniendum, etiam si parentes per malitiam contra niterentur. Ergo multo magis est subveniendum pueris, infidelium filiis, per baptismum, contra periculum mortis aeternae, etiam invitis parentibus.

2. Praeterea, filii servorum sunt servi et in potestate dominorum. Sed Judaei sunt servi, et regum et principum; et quicumque etiam alii infideles. Ergo absque omni injuria possunt principes filios Judaeorum vel aliorum servorum infidelium facere baptizari.

3. Praeterea, quilibet homo est magis Dei, a quo habet animam, quam patris carnalis, a quo habet corpus. Non est ergo injustum si pueri infidelium filii parentibus carnalibus auferantur, et Deo per baptismum consecrentur.

Sed contra est, quod in Decret. sic dicitur (dist. 45, c. de Judaeis, ex Concil. Tol. 4, cap. 55): Praecipit sancta synodus nemini leinceps ad credendum vim inferre; non enim tales invitati salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae.

Respondeo dicendum, quod pueri infidelium filii aut habent usum rationis, aut non habent. Si autem habent, jam, quantum ad ea quae

sunt juris divini vel naturalis, incipiunt suae potestatis esse. Et ideo propria voluntate, invitatis parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contrahere. Et ideo tales licite moneri possunt et induci ad suscipiendum baptismum. Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu ipsi sibi providere non possunt. Unde etiam et de pueris antiquorum dicitur, quod salvabantur in fide parentum. Et ideo contra justitiam naturalem esset, si tales pueri invitatis parentibus baptizarentur, sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculosum taliter filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesiae consuetudo, quod filii infidelium, invitatis parentibus, baptizentur.

Ad 1 ergo dicendum, quod a morte corporali non est aliquis eripiendus contra ordinem juris civilis; puta si aliquis a suo iudice condemnatur ad mortem, nullus debet eum violenter a morte eripere. Unde nec aliquis debet irrumpere ordinem juris naturae, quo filius est sub cura patris, ut eum liberet a periculo mortis aeternae.

Ad 2, dicendum, quod Judaei sunt servi principum servitute civili, quae non excludit ordinem juris naturalis vel divini.

Ad 3, dicendum, quod homo ordinatur ad Deum per rationem, per quam cognoscere potest. Unde puer, antequam usum rationis habeat, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curae naturaliter subjacet, et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum divina agenda.

DISPUTATIO XXV.

DE BAPTISMO PARVULORUM, ET JURE AC POTESTATE BAPTIZANDI ILLOS.

In hac disputatione primum omnium declarandae sunt amplius, et confirmandae duae conclusiones a D. Thom. traditae in art. 9. Deinde agendum erit de jure servando in baptizandis his infantibus, quod D. Thom. tractat in art. 10. Nomine autem infantium in tota hac disputatione intelligimus omnes eos, qui rationis usum nunquam habuerunt, sive hoc sit propter defectum aetatis, sive propter aliud impedimentum, quale est in perpetuis amon-

tibus; nam de utrisque eadem ratio est, quantum ad negotium justificationis pertinet.

SECTIO I.

Utrum homines ante usum rationis sint capaces baptismi.

1. Hierachitarum error. — Epiphanius, haeres. 67, et August., haeres. 47, referunt Hierachitas, quorum auctor Hierax fuit, negasse parvulos pertinere posse ad regnum caelorum, quia non possunt habere ulla merita, quibus illud assequantur, nec possunt ullum certamen subire; Apostolus autem ait non fore coronandum, nisi qui legitime certaverit. Ex quo errore aperte consequi videtur, hos infantes non esse capaces baptismi, quia si non sunt capaces effectus, cur erunt sacramenti? Apertius docuit hunc errorem Petrus Brusius, et quidam Henricus; a quibus orti sunt haeretici dicti Petrobrusiani, et Henriciani, ut meminit Bern., epist. 240, et ser. 66 in Cant.; et hos postea secuti sunt Anabaptistae, ut videri potest in Prateol., lib. 4 Elenchi, n. 35, et lib. 14, n. 18; Castro, Sanderio, et aliis. Fundamentum hujus haeresis, praeter supra insinuatam, sumi potest ex verbis illis Christi, Matth. ult.: Docete omnes gentes baptizantes eos, etc., et illis Mar. ult.: Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; nam ex his colligi videtur, juxta Christi institutionem et voluntatem (a qua totum hoc negotium pendet) eos tantum esse capaces baptismi et salutis, qui sunt capaces doctrinae et fidei; nam illa praecipit Christus praemitti ante baptismum; sicut ergo parvuli non sunt capaces doctrinae et fidei, ita nec baptismi. Addi praeterea potest, quod ad baptismum necessaria est intentio suscipientis; parvuli autem non sunt capaces hujus intentionis.

2. Prima conclusio: homines statim a natiuitate ex utero sunt capaces baptismi. — Primum argumentum. — Dico primo: homines post natiuitatem ex utero materno statim sunt capaces baptismi, etiamsi rationis usum non habeant. Conclusio est de fide, quae licet non sit in sacra Scriptura expressa, possunt tamen ex illa varia argumenta sumi ad eam confirmandam. Actor. enim 16, legimus baptizatum fuisse Lydiam et domum ejus; et 1 ad Cor. 4, ait Paulus, se baptizasse Stephanæ domum; nomine autem domus, tota familia intelligi solet, in qua continentur etiam in-

fantes. Et quamvis his locis non fiat eorum mentio, nec constet aliquos in illis familiis fuisse, satis tamen est esse potuisse, et locutiones Scripturae esse generales, ac neminem excludere. Nec dissimile argumentum sumitur ex ipsa institutione baptismi, et ex illis verbis Joan. 3: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto. Quibus significatur, omnem hominem, qui tingi potest aqua, sub Spiritu Sancti seu Trinitatis invocatione, posse spiritualiter renasci, atque adeo esse capax baptismi; ubi etiam ponderari solet, Christum passive potius quam active esse locutum, quia ad hanc natiuitatem spiritualement nulla est simpliciter necessaria humana actio (praesertim in his, qui non sunt capaces ejus), sed sufficit passio, seu ablutio aquae in verbo vitae.

3. Secundum argumentum ex Scriptura. — Alterum argumentum ex Scriptura sumitur de circumcissione, quae fuit figura baptismi, ut dicitur ad Colos. 2; nam in lege veteri parvuli erant capaces circumcissionis, quatenus erat sacramentum legis veteris; multo ergo magis in lege nova erunt capaces baptismi, qui circumcissioni successit; nam lex gratiae benignior et universalior est, et neminem excludit ab his beneficiis, quae sunt remedia ad salutem magis, quam lex vetus. Quo argumento usus est Innocent. IV, cap. Majores, de Baptismo, et ante illum Greg. Naz., orat. 40. Quinimo in hoc generalior est baptismi quam circumcissionis institutio; nam haec dari non poterat ante octavum post natiuitatem diem; ex quo aliqui tempore Cypriani inferebant, eandem regulam in baptismo esse servandam, quos merito ipse reprehendit epist. 59, quia lex gratiae neminem prorsus excludit, cui remedia ejus applicari possint. Addit Cyprian. in circumcissione praecipuum esse expectare octavum diem, propter mysterium et significationem futurorum, quorum illa lex erat umbra; hoc autem cessavit in lege gratiae, quae veritatem continet rerum, et ad justificationem conferendam per se primo ac principaliter ordinatur. Addere etiam possumus, remedium circumcissionis fuisse difficilius et acerbius, et ideo cautum esse, ne in tenerrima aetate ante octavum diem applicaretur; quae cautio in baptismo non fuit necessaria, quoniam est facillimum remedium. Confirmare vero possumus, quia in lege naturae sacramentum omnibus infantibus etiam ante octavum diem applicari poterat, propter facilitatem et necessitatem ejus. Unde etiam